

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3138

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

501

## P A T R I S T I C I.

502

*demetriane — ad beate uite statum* (spectent) *expelandant*; et mendis plena est. Correctior paullo est lectio ipsorum VII. Librorum cum edit. suprac. comparata. Margines per totum brevibus Summariis, observationibusque conspersi sunt, idque a triplici manu. Quae diligentissima fuit, *Thomae nostri Haselbachii* fuisse videtur, id, quod et *Codex* insequens suadet, quem vide.

II. fol. 128. p. 2. ἀδεσπότως: *Mens tua que et discere et multum discere cupit inmenso sapientię amore succensa etiam aliud nobis opus quod efficere deberemus in iunxit hoc est brachmannorum consuetudinem uitamque monachorum &c.* Retuli in Codice sequenti Exemplar Sec. XV. fortassis ἀπογεαφον praesentis, ibique notavi, quae ad hoc Opusculum, ejusque Autorem pertinent. Ignoscendum *Haselbachio*, qui ad marginem adjecit: *Credo istum libellum etiam lactantii fore ad eundem demetrianum ad quem supra.*

## CCLXXVIII.

U. 270 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 313. f. non una perscriptus manu, rubricis distinctus, et pro libraria Collegij Ducalis, ut frons adserit, testamento relictus a Thoma de Haselbach saepissime memorato continet I. praemissis iis, quae Codice praeced. indicata sunt, *Lactantii Libros VII. Divinarum Institutionum* una cum Fragmento de *Opificio Dei* ex eo descriptos, et desinentes in ver-

bosam clausulam miniatam, qua finiti dicuntur: *In vigilia Colomanni patroni austrie singularissimi anno — MCCCCXXXIII° per Magistrum Johannem römer de wildo apud sacram Studij wyenmen. uniuersitatem &c.* Revidit illos, qui verisimiliter describi jussit, *Haselbachius*, notulisque adspersit.

II. fol. 213. sequitur, ut in *Cod. praeced.* Opusculum *de Bragmanorum habitudine*, cui iterum sua manus praescripsit *Haselbachius*: *Credo bunc libellum lactancij ad demetrianum de quo supra.* At vero natus interim alium Codicem adjecit Commercium epistolicum inter *Alexandrum M. et Dindimum Regem Bragmanorum* fictum illud, ut videtur ad *Plutarchi in Vita Alex. et Arriani de Expedit. Alex.* L. 7. narrationes, quibus Δαρδαμος Philosophus *Indus* est, neque nisi latine existens, quale habes in *Ed. Biffaei Palladio de Gentib. Indiae, Lond. 1665. p. 85.* 4. Perturbatus tamen in Codice ordo est, et *Epistolae Biffaei* 1. 2. 3. 4. 5. nobis procedunt 4. 5. 2. 1. 3. Interim *Biffaei* 5. quae hiat, e 3. nostra ita compleri potest: non nunquam etiam suavitate odoris vel gustu dulcedinis aut contactus blanda mollitie refovemur, quorum omnium suggerunt nobis elementa materiam, quae etiam vitae nostrae creduntur esse principia, quorum permixtione contraria humani generis &c. et in universum mutua Codicis et Editionis opera Exemplum multo perfectius confieri posset.

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3138

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

503

## C O D I C E S

504

III. fol. 224. *Incipit liber Iancij de ira dei ad donatum. Ita: Animaduerti sepe donate plurimos &c. Divisus est in XXIII. Capitula, quae tamen Editioni suprac. T. II. p. 127. non respondent. Caput 18. ab his verbis edit. p. 167. Miserum te, inquit — Sed quantum potuerunt gravissime &c. hiat, omisorumque loco irrepit, ut censeo, e margine: De facto istius archite quod hic tangitur Valerius libro quarto fere in fine libri dicit Valerius quod cum longo tempore causa scientie acquirende absuisset et reuersus in patriam rura corrupta et perdita negligentia serui comperisset dixit seruo sumpssem inquit de te supplicium nisi iratus essem maluit enim in punitum dimittere quam propter iram iusto grauius punire. Quod utique non Laetantii, sed cuiusdam Commentatoris est. Paullo post minor hiatus est inter verba: ut nequam seruus iratum — dum iis quos odio habent &c. Sub Libri finem Versus Graeci, quos adfert Autor, corrupte literis latinis columnatim exarati sunt respondentem ex adverso traductione latina.*

IV. fol. 236. *Incipit liber firmiani qui eciam laetancij de opificio dei uel formacione hominis. Pariter in Capitula XVI. distributus, et integer; incipit enim: Quam minime sum quietus &c. et finit: ad iter celeste direxerit, ut Edit. cit. T. II. p. 71. nec lacunis laborat.*

V. fol. 247. p. 2. *Sequitur Grecum diuersorum autorum in premisis libris institutionum diuinorum voluntate (ignorantia?) scri-*

*ptoris obmissum cum suis interpretationibus. Haec et sequentia ad Laetantium Παρεγγά industriae Haselbachii debentur, cujus manus adlatum Titulum inscripsit. Una igitur columna Voces graecae singulæ literis majusculis graecis depictæ sunt, altera significationes latinae adjiciuntur. Multa in his mendosa, et frequenter Librarium characteres graecos pingere piguit; latinis potius usus est.*

VI. fol. 260. *Codicem terminat Index alphabeticus Rerum in Libris Institutionum divinar. contentarum, quem satis gnaviter factum iterum Haselbachii manus inscripsit: Tabula Laetantij. Pertinet a v. Ablutio ad v. Zenon.*

*Fronti Codicis, nescio cur, solertissimus Seb. Tengnagelius noster olim Alphabetum, Orationem Dom. Salutationem Angel. et Canticum Magnificat graece adscripsit.*

## CCLXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 397  
 XV. Folior. 64. f. eleganter exaratus, auroque et coloribus illustratus exhibet L. Caecil. Firm. Laetantii Librum de Ira Dei, qui hic Olaus dicitur, nempe, si illum VII. Libris Divin. Institutionum accenseas. Praeit Index Capp. XXV. sed per decursum non nisi XXIV. numerantur Capite ult. in duo diviso, ut plures Codices habent. Textus, ut jam saepius utroque Vol. dixi, incipit: Animaduerti saepe Donate plurimos id existimare &c. mendis non caret, Cap.